ANTONII GVIDI
EPISCOPI TRAGVRII
DE PONTIFICE MAXIMO
POST OBITVM INNOC. IX.

DELIGENDO

AD AMPLISS. S. R. E. CARD.

ORATIO.

Habita in Basilica Vaticana IIII. Idus Ianuaria
Anno M D X C I I.




SVPERIORVM PERMISSV.

Romæ, Apud Vincentium Accoltum, In Burgo.

Vide Thomas de eadem materia [illegible]

SANCTISSIMO IN CHRISTO PATRI ET D. NOSTRO D. CLEMENTI PAPAE VIII.

Antonius Epiſcopus Tragurij S.



Gaudeo cum felicitati tuorum temporum, tum præſertim meæ, cum Dei prouidentia, & omnium non modo Cardinalium, ſed generatim, ordinum, & ſtatuum conſenſu ſummus pontificatus tibi vel inuito, & repugnanti delatus ſit, cuius ego exemplum in oratione de Pontifice Maximo deligendo proximis comitiis à me habita potiſsimum ſecutus ſum. Atque huius rei locupletiſsimus mihi teſtis eſt Ludouicus Archiepiſcopus Montis Regalis, vir optimus, & ornatiſsimus, qui mihi ſecum, vt ſit, de Cardinalibus agenti, quos tanto oneri pares eſſe iudicaret, cum multa alia, tum illa de te pluribus memorauit, quæ ego poſtea tanquam ei, qui futurus Pontifex eſſet, perneceſſaria in hac oratione breuiter perſtrinxi: Quam & his literis adiunxi, vt haberes & bonorum de tua virtute iudicium, quod Deus tam feliei exitu comprobauit, et à me ſi non expreſſam, at adumbratam ſaltem animi effigiem tui. Et tu quidem genus humanum ea pietate, & ſapientia gubernabis, quam in te ſummam eſſe omnes fatentur. Nos vero Deum precari non deſinemus, qui ſanctiſſimis tuis optatis, atq. conſiliis benigne reſpondeat, & te nobis incolumem, & bene valentem diutiſsime ſeruet.

ANTONII GVIDI

EPISCOPI TRAGVRII

DE PONTIFICE MAX. DELIGENDO

ORATIO.

SI vllum fuit vnquam tempus P. A. cum de maturanda Summi Pontificis electione cogitandum fuerit, nunc profecto illud est, quo Ecclesia Dei tot calamitatibus premitur, amissis intra paucos menses summis Pōtificibus quattuor, qui singuli si diutius vixissent, labantes Christianæ Reip. partes constituere, & Ecclesiam in veterem maiestatem, auctoritatemq. restituere potuissent. Audiuimus parentum nostrorum memoria Pium III. meminimus plerique nostrum Marcellum II. (vt vetustiores omittam) quorum alter intra vigesimum sextum, Marcellus vero intra tertium & vigesimum diem mortuus est. Verumtamen quia illud incommodum multis annis interiectis acceptum est, minus fortasse dolendum fuit. At quod tam exiguo spatio, tot continuatis funeribus Ecclesia Dei suo sponso orbata fuerit, hoc vero nobis est multo luctu, & lacrymis prosequendum. Nam; quo tempore malorum hominum audacia non solum seueritate iudiciorum, sed armis vindicanda; summa iamdiu ingrauescentis annonæ caritas, & inopia subleuanda: multitudo pauperum tanta, quantam nūquam in vrbe vidimus, alenda, & sustentanda: proximæ ciuitates & prouinciæ partim domesticis seditionibus, & latronum incursibus afflictæ, par-

tim vetere ære alieno, & nouis sumptibus oppressæ, recreandæ, & liberandæ erant: nobis semper fuit, & nunc etiam est, qui tot rebus subueniat, toties repetitis comitiis nouus Pontifex requirendus. Iam Gallia quanto in discrimine posita sit, quis ignorat? Quod Regnum Christianissimum, nobilissimumque, & turbulentis huius sanctæ Sedis temporibus propugnaculum quondam, & perfugium certissimum, cum vestra fide, & auctoritate nitatur, a vobis in tantis ærumnis deseri non est æquum. Imminent eius fortunis Britanni: nec leuius illi periculum a Germanis. Præterquam quod plures eius filij, relictis maiorum institutis, eius viscera cruceliter discerpunt, atque dilaniant. Nam hæreticos, quo genere hominum nihil nocentius, nec veræ religioni infestius quicquam inueniri potest, audita sanctæ Sedis viduitate, quibus gaudiis exsultare, quanta piis hominibus pericula moliri credendum est? Vrget ex altera parte immanissimus Christiani nominis hostis Turca, quem in tam perturbato Christianæ Reip. statu, tanta rerum mutatione quietum esse verisimile non est. His tot, tantisque incommodis mederi, non solum prouidentiæ vestræ, sed potestatis est, P. A. Quod ipsum expeditissimum erit, si nobis quamprimum Optimum Pontificem dederitis. Cuius rei nihil est quod à me præcepta, aut monita expectetis. Quis enim ego sum, qui tantam rem in grauissimo hoc, & sapientissimo totius orbis terrarum consessu, vel præstare me posse putem, vel audeam profiteri? Satis mihi esse debet, si quod facere præcones solent, vt in enunciandis Principum placitis, vsum tantum vocis adhibeant, itidem ego cum amplissimi ordinis vestri iussu hunc locum ascenderim, vestros item sensus de hac ipsa re, & optimæ mentis cogitata quoquo modo proferre possim. Cæterum quod vestri muneris est, P. A. vos ipsi pro summa vestra sapientia optime perspicitis, cum a vobis Pontificem deligendum esse, qui clauum tanti nauigij tenere, qui sæuientes fluctus vel declinare prudenter, vel excipere fortiter norit, nec horribiles monstrorum occurrentium formas, atque impetum pertimescat:

idem-

idemque sacerdotio Melchisedech, potestate Petrum, vnctione Christum iure, ac merito repræsentet: quiq. non modo vniuerso orbi terrarum præsit, sed ipsi pene cœlo leges imponat, vti scilicet, quod ab eo in terris statutum fuerit, id in cælo quoque ratum habeatur. Quæ cum ita sint, profecto intelligitis, quanto hæc dignitas, atque potestas cæteras omnes antecellit, tanto eum, qui à vobis deligendus est, inter omnes mortales meritis præstare debere; ac propterea summam in eo diuinarum, humanarumq. rerum scientiam, egregias virtutes, auctoritatem maximam requiri. Et certe quod ad scientiam attinet, nihil est, quod quisquam putet, hanc rerum vniuersitatem absque maximarum rerum cognitione recte administrari posse. Itaque Salomon auspicia Regni initurus, cum sibi à Deo optio data esset, quæ mallet, petendi, nihil ille potius, quam sapientiam optauit, vt pote quam sibi ad regendos populos maxime opus esset arbitraretur. Quæ res tanto magis in eo requirenda est, qui non vni Regno, sed vniuerso orbi terrarum est imperaturus, præsertim cum ab Ecclesia Romana, quæ cæterarum omnium Ecclesiarum princeps est, parens, atque magistra, ex omnibus partibus respōsa petantur. Et, vt virtutes etiam attingamus, quanta sanctitate, & innocentia debet esse is, qui bene viuendi, & recte agendi exempla aliis daturus sit. Neque enim ipsum satis est nulli reprehensioni esse obnoxium, maius aliquid ab hoc, & excelsius expectatur, vt lumen aliis præferat, vt errantes in viam reducat, vt Deum propter peccata iratum, atque infensum populo suo placare, & reconciliare possit. Prudentia vero eundem hunc omnibus superiorem esse debere, vel ex hoc perspici potest, quod incidunt persæpe causæ, in quibus si prudentia caret is, qui gubernationi præest, omnia in præceps ruant, necesse sit. Non consilium ex re capere, non opportunitates idoneorum ad agendum temporum, non quid eligendum, reiiciendumue sit, intelligere potest. omnia timet, omnia circumspectat, quicquid increpuerit, perhorrescit. Fortem præterea, atque magnanimum, humanarumq. rerum contemptorem oportet esse eum, qui

in Petri

in Petri solio collocandus sit. Alioqui quo pacto is lupos vel aperta vi gregem inuadentes, deterrere, vel occulte insidiantes, cauere poterit? Nonne is omnem illam maiestatem, atque amplitudinem, quam nobis veteres Pontifices per exempla virtutum reliquerunt, vel propter metum, vel propter cupiditatem funditus euertet? Atque iccirco eundem vultum, eandem frontem semper habere, non prosperis tolli, non frangi aduersis, non subitis commoueri, magnum est hoc fortis, & constantis animi argumentum. Harum virtutum præsidio cum multos alios, tum Liberium Pontificem ita munitum fuisse accepimus, vt Constantium Augustum exilium sibi minitantem, nisi sententię cuidam in concilio Tyri congregato contra sanctum Athanasium latæ subscriberet, adeo non sit veritus, vt in exilium proficisci maluerit, quam ex quadam animi deiectione contra ius, atque æquum innocentissimo viro tantum dedecus, & damnum inferre: idemque pecuniam sibi ab Imperatore oblatam eadem altitudine animi reiecit, atque contempsit. Verumtamen rursus in Petri Successore mansuetudo, & charitas, atque affabilitas desideratur: nam eo quoque nomine Moyses & Dauid in sacris litteris commendantur. Magna est cuiusuis Principis, & præsertim Christi Vicarij laus, cui propositum sit, vt ad eum etiam infimis hominibus aditus pateant, ipseq. eorum preces, & querimonias audiat, iniurias vindicet, miserias consoletur. Quis infirmatur, inquit Apostolus, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Hoc qui animo erit, eundem quoque spes est præcipue curaturum, vt Episcopos, aliosque sacri ordinis viros ex longinquis partibus ad vrbem accedentes, libenter accipiat, benigne audiat, & iustis eorum desideriis, ac precibus satisfaciat. Sed & illud vobis P. A. persuasum esse existimo, ei, qui Petri cathedram adscensurus sit, summam auctoritatem maxime esse necessariam, quæ vtique magna quædam est hominum de præstantibus, alicuius viri virtutibus, existimatio, & opinio. Hanc si summus Pontifex habeat, certissimum


sit

sit, ipsum cum præclara alia multa efficere posse, tum inter dissidentes interdum Principes beneuolentiam iungere, & iniquorum conatus posse comprimere. Quamuis enim summa sit, sicuti est, huius sanctæ Sedis auctoritas, atque maiestas, tamen, quemadmodum, si quis equitandi imperitus, generosum, & quantiuis precij equum ascenderit, periculum sit, ne deiiciatur: ita summi Apostolatus veneratio, & amplitudo parum ei ad existimationem confert, qui recte gubernandi artes non teneat. Hac auctoritate inter alios multos præditum fuisse ex vetustioribus sanctum Leonem I. legimus, ex recentioribus sanctæ memoriæ Pium V. nos ipsi vidimus. Quorum alter Athilam Hunnorum Regem maximis collectis copiis Italiæ fines ingressum, & huius Vrbis euertendæ studio inflammatum, cum illi occurrisset, ita vel oratione leniuit, vel præsentia coercuit, vt abiecto tam pernicioso consilio, exercitum reducere, & redire in Pannoniam coegerit. Pius vero V. cum Princeps Turcarum, comparata ingenti classe, non solum Italiæ, sed & cæteris Christiani orbis partibus immineret, tantum apud Principes auctoritate valuit, vt inter Philippum Hispaniarum Regem Catholicũ, & Inclytam Venetorum Remp. in eas leges, quas ipse voluit, fœdus inierit. Quo factum est, non solum vt hostes a ceruicibus nostris depulsi, sed ita ad Naupactum fracti sint, vt vix decimus quisque tantæ cladi superfuerit. Atque eam victoriam non nostris classibus, aut militibus, sed potissimum sancti viri precibus a Deo concessam esse, vel confessione hostis expressum est. Plura me de hac re loqui, nec amplissimi ordinis vestri grauitas patitur; nec pudor meus. Vos enim, & qua de re conuenistis, & quid præstari a vobis debeat, pro singulari vestra intelligentia optime omnium nostis. At, quando ad hanc rem obtinendam sancti Spiritus opem, & gratiam, vetere Ecclesiæ instituto implorandam esse censuistis, agite, obsecro vos, P. A. per eandem Spiritus sancti gratiam, vt res ipsa precationi vestræ respondeat, & simultatibus, si quæ


inter

inter vos, vt homines, sunt, non in tempus dilatis, sed in æternum depositis, non priuatas spes, non offensiones huc afferendas, sed rem sanctam, sancte quoque administrandam, & consentientibus animis in commune consulendum esse existimate.

L A V S D E O.







R O M A E.

Ex Typographia Aloysij Zannetti. 1592.